



## The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **LITUANIA \*** ORDINARIATUS MILITARIS IN  
LITUANIA CONDITUR Christi discipuli nos, « in carne ambulantes, non secundum carnem militamus — nam arma  
militiae nostrae non carnalia sed potentia Deo » (*2 Cor 10, 3-4*). Verumtamen magni aestimamus, qui patriam suam  
aliamque bona secundum iustitiam defendunt, eisque necessaria spiritualia iuvamina providere curamus. Nunc igitur, cum  
inter Apostolicam Sedem et Lituanię inita sit pactio hunc in finem ut catholicis christifidelibus ad copias terrestres,  
maritimas et aerias pertinentibus, stabili firmioreque ratione spiritualia praestentur adiumenta, Nos *Ordinariatum  
Militare in Lituania* constituimus, sollicito animo cupientes ut ibidem milites iisdem bonis frui possint quibus ceteris in  
nationibus christiani gaudent eiusmodi munus exercentes. Ordinariatus militaris praedictae Dictionis regetur normis  
generalibus Constitutionis Apostolicae « Spirituali militum curae », Statutibus ab Apostolica Sede editis, legibus  
ecclesiasticis universalibus. Ad haec omnia perficienda delegamus Venerabilem Fratrem Hervinum Iosephum Ender,  
Archiepiscopum titulo Germaniensem in Numidia et Nuntium Apostolicum in Lituania, vel, ipso absente, negotiorum  
Sanctae Sedis in eadem Republica gestorem, necessarias et oportunas eidem tribuendo facultates, etiam  
subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito  
remitendi ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae execusionis.  
Has Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum tempus volumus, quibuslibet rebus nihil obstantibus. *Datum Romae,  
apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Novembris, anno Domini bismillesimo, Pontificatus Nostri vicesimo  
tertio.*

ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status*

IOANNES B. card. RE

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 3, pp. 125-126 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana